F: Augustin

F: Augustin

1885. I. 15.

BREVIS
INSTRUCTIO
De
Vita Religiosa post
absolutum Tyrocinium,
tempore tam proximè quàm
omni deinceps sequente, ma-
xime à junioribus for-
mandâ,

Auctore
P. Gaspare Druzbiczki,
Societatis Jesu.

Nunc omissis iis, quæ
Venerabili Societati Jesu erant
propria, ad cujusque alterius
Religionis usum, accommo-
datus, recusus

1710.

Præfatio.

Est quidem cuique Religioni proprius suus Spiritus, propria vivendi ratio, ritusq́; proprius, si vel accidentales observantias, vel specialem cujusque instituti finem spectemus; at si illa, quæ Religionibus omnibus, ipsique perfectioni Christianæ communia, atque essentialia sunt, attendamus, ea, quæ de his tractant, quadrant omnibus, diversam licet Religionem professis. In Rigore, in habitu, in ritu observantiæ, & disciplinæ ratione, in modo conversandi cum hominibus, in fine sui instituti,

quod

quod modò activum, modò contemplativum, modò mixtum est, nullus pœnè cum alio convenit religiosus ordo, & vel maximè convenit in tribus substantialibus votis, non quod communitates (quæ quandoque & ipsæ, sicut earum membra particularia, dominio, usuque libero carent) sed quoad individua singularum, verbo: in votis substantialiter consideratis, uti & in humilitatis, abnegationis, orationis, aliarumque Virtutum substantiali, veraque & genuinâ praxi, mediis extirpandi vitia, & implantandi Virtutes; ut proindè exempla & Doctrinæ Virtutum edita à Sæcularibus, item omninò differentibus ascetis, cuilibet ad Instructionem

& profectum serviant, sicut ab antiquorum Sanctorum Patrum nec non Eremitarum quà exemplis quà gnomis sæcularis, Regularisq; mundus eruditur, dirigitur, incenditur. Dolendi igitur sunt tanquàm discretionis expertes, qui fastidiunt omnia, quæ ab aliis quàm suam Religionem, & maximè pientissimis Societatem Jesu professis, in publicam lucem, & communem omnium piorum usum sunt edita.

Tu pie Lector, juxtà monitum Libelli de Imitatione Christi, non, quis hæc scripserit, sed, quid dicatur, attende. Ut tamen minus fastidias, omisi, quæ auctor Religiosissimus suæ Societati Jesu propria inseruit, nihil tamen substantiale mutavi.

CAPUT I.

De Generalibus Documentis Vitæ religiosæ post Tyrocinium agendæ.

INprimis ſciendum eſt, duplex eſſe Tyrocinium. Aliud ad vota & profeſſionem; aliud ad virtutum perfectionem. Prius tyrocinium perficitur, definiturque anno, vel duobus, pro more cujusque Religionis; quô elapſo tempore vota fiunt, & finis tyrocinii venit. Poſterius vero tyrocinium, à fine prioris, maximè inchoatur, & omnibus annis, ſequentibus, quibus religioſus in ordine vivit, trahitur, donec ad perfectionem ſtatui ſuo competentem, & ad perfectas virtutes perveniatur. Ideo etiam poſt Novitiatum vota emittuntur, ut quodammodo jaciatur fundamentum ſecundi tyrocinii, certiorque reddatur, & Deus, & Religio, & homo ipſe Religioſus, quod ſit deinceps futurus Secta-

tor perfectionis, quam ſtatus exigit, qui conſtituitur Votis. Hoc ergò tu tyrocinium factis Votis ingreſſus & aggreſſus es: hoc per ſequentes annos peracturus es, hoc finire in tuà poteſtate in tantum eſt, in quantum ad perfectionem pervenire, in tua cum Dei auxilio poſitum eſt curâ & libertate; in tantum verò extrà facultatem tuam eſt, in quantum ſine adeptione perfectæ, ſolidæ, conſummatæque virtutis, tyrocinium hoc terminari non poteſt, hoc enim ipſo durare tyrocinium teque Novitium eſſe, neceſſe eſt, quo te per ignaviam lentitudinemque tuam ad perfectionem non pervenire continget. Hujus ergo tyrocinii finis eſt conſecutio perfectionis; quæ tunc erit, quandò ſtatum rectè, diſciplinatè, perfecteque vivendi, ita tibi familiarem reddideris, ut tibi ſic vivere, non violentia ſit, ſed natura; non labor, ſed oblectatio; non conatus, ſed Vita.

Sciendum præterea Novello Religioſo duplicem mutationem ſubeundam eſſe, unam Tyrocinii ſui initio, alteram in fine ejuſdem. Mutatio ſubeunda initio converſionis ad Deum, initioque ingreſſus ad Religio-

ligiosum Tyrocinium, in eo posita est, quod ingrediens debeat mutare mores, etsi qnandoque non morum objecta; quamquam & horum pleraque mutanda illi sunt, si quæ tamen non sint, in quibus nihilominus tractandis mores & modi mutandi sunt, longè enim alios mores assumere, discereque debet in Religione, ab eis, quos habuit in sæculo, ob hòcque principaliter anni tyrociniorum in Religionibus instituti sunt, ut quando ad illas ex sæculo veniunt, per illos dies, mores sæculi dediscant & deponant, mores verò religiosos, sæcularibus prorsus oppositos addiscant, & assumant; adeò ut etsi contingat, quandoque tyroni id agere in claustro, quod actitabat in sæculo, aliter tamen omninò agat in claustro, quàm agebat in Sæculo. Jam verò mutatio subeunda tyroni in fine tyrocinii sui, in eo posita est, quod finiens tyrocinium atque etiam ex eo egrediens, objecta quidem & occupationes ac munia, officiaque vivendi mutet, mores tamen in objectis & occupationibus & officiis, nunquā omninò (nisi forte de bono in melius, de imperfecto in perfectius) mutet, sed quos

in tyrocinio didicit, hos tota sequenti vitâ suâ, in omni loco, tempore, officióque servet; ad hoc enim eos mores in Tyrocinio didicit, assumpsitque, ut per omnem religiosam sequentem Vitam iisdem moribus legibusque vivat; alioqui, si cum posito Tyrocinio etiam mores Tyrocinii deponendi essent, magna certè ea, tum Dei, tum Religionis, tum ipsius Religiosi deceptio foret; sed nequaquam deponendi sunt, verùm ut dixi, totâ deinceps Vitâ servandi, imò augendi & perficiendi.

Itaque quomodo didicisti in Tyrocinio orandum, meditandum, de spiritualibus rebus lectitandum, colloquendum, de statu animæ tuæ cum Patre spirituali agendum, Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ usurpanda, conscientiam Examine generali particularique examinandam, intentiones puras retinendas, renovandasque sæpius in diem, Regulas etiam minimas observandas, charitatem fraternam, obedientiam punctualem, mortificationis internæ & externæ studium, ad omnia indifferentiam, humilitatis exercitia, cæteraque hujusmodi studia practicanda esse, ita prorsus

ſus in omni Vita ſequenti per omnia officia, muniáque Religioſa pergenti ad ultimum Vitæ terminum obſervanda, nec unquàm negligenda, aut perfunctoriè, ſed cum omni diligentiâ perfectioneque majori peragenda erunt. Atque hoc erit poſt Tyrocinium peractum mutare quidem forſitan objecta, ſed non mores, mutare actiones, ſed non agendi modos, mutare officia, & vivendi circumſtantias, ſed non Vitam, ſed non ſemetipſum, niſi fortè, ut dixi, ſemper in melius atque perfectius. Hæc igitur ſecundi generis mutatio tibi ad Studia Venienti, & Tyrocinium mutanti ſubeunda erit deinceps, non alia. Ages non pauca poſt profeſſionem, quæ in Tyrocinio non egiſti, attamen non debebis, nec debes aliter quàm in Tyrocinio agere didiciſti. Hoc ſi tenueris prudenter, atque conſtanter, non mutabit in te occupatio ſtudiorum, aut alia, vel locus convictûs Virtutem, ſed augebit atq; confirmabit, & licet in dies ſemper antiquior fies, magiſque veteraſces, quo ad tempora & officia, atque munia, ſemper nihilominus fervendi, & agendi, vivendi, morùmque ratione coram Deo, tuaque con-

conscientia integer Novitius, hoc est integri & integritate roborati, arctique Spiritus Religiosus, quo unô ne vix quidquam rarius, vix quidquam felicius est in Religiosis hominibus.

Sciendum insuper, in quo consistat hæc immutabilitas constantiaque morum, in Tyrocinio haustorum quantumlibet objecta & occupationes mutari contingat. Consistit autem in duobus. Primò quidem in observatione, Secundò in applicatione; quod ut meliùs cognoscas, adverte: Tyrocinii occupationes duplices esse; quædam enim purè simpliciterque Spirituales sunt, quædam non sunt naturâ suâ, sed tantùm modo agendi spirituales. Ità orare, meditari, examen facere, humiliari, mortificationes internas externasque subire, Sacramenta usurpare, virtutum actiones exercere, Intentioni, Devotioni, Præsentiæ Dei, Charitati fraternæ assuescere, sine facultate nihil præsumere, silentium servare, &c. hæc similiaque sunt actiones merè spirituales naturâ suâ. At verò occupationes externæ officiaque publica in Refectorio, aut alibi ministrandi,

di, exercitia item manualia, hæc non sunt naturá suâ spiritualia, sed ex modo tantum agendi, quem illis applicare oportet spiritualem: eaque applicatio in Novitiatu discenda, & ex Novitiatu etiam efferenda, atquè post Novitiatum conservanda est. Prioris generis occupationes, Tyro, ex toto secum deferre, eoque modo, situ, tenoreque, quo in Novitiatu didicit servare sequenti vitæ tempore debet. Ista enim studia & occupationes Religioso substantialia sunt, nec absque illis Status ejus stare durareque potest. Posterioris generis occupationes, non ex toto semper & ubique locum habent, etsi etiam aliquem habent, sed mutantur fermè in studia literarum, non negligendo tamen exercitiorum illorum subinde usum, prout obedientia, & ordo domesticæ disciplinæ assignaverit certos dies, certaq; tempora his obeundis.

Harum igitur posteriorum actionum peragendi modum (esto non ipsas actiones) Tyro efferet secum è Novitiatu, officiisque & occupationibus sibi assignandis, vel assignatis applicabit, ut eas, cum ea perfectione devotionis, disciplinæque obeat,

cum qua in Tyrocinio v. g. qua perfectione ſpirituales libros lectitabat in Tyrocinio, eâdem leget alios ſtudiis ſuis opportunos ac lectionibus neceſſarios; quâ perfectione Religioſæ diſciplinæ vacavit, ſibi ſuoque Spiritui in Novitiatu, eadem perfectione vacabit ſibi ſuoque in literis ac Spiritu profectui aut aliorum ſaluti doctrinæve poſt profeſſionem, eandem ſervabit intentionis puritatem, Reſignationem in placitum Dei, Indifferentiam, patientiam, ſilentii curam, &c. Quâ ſimplicitate ſe ſuaque Deo & curæ Dei ſuperiorumque concredebat in Tyrocinio, eâdem poſteâ: quâ reſignatione ac manſuetudine in Tyrocinio expectabat, acceptabatque officia, ſingulas vel alternas in hebdomadas, eâdem ſubibit exſpectabitque ſingulos in annos, imo in ſingulos dies; quà curâ excubabat in minimas mortificandi, abnegandi, humiliandique ſui, charitatis verò aut obedientiæ exercendæ occaſiones in Tyrocinio, eâdem excubabit poſt Profeſſionem; quas conſuetudines pias in cæteris locis, temporibus, actionibusque habebat in Tyrocinio, easdem in ſimilibus,

&

& aliis servabit post Professionem, & quidem ex designatione, & quidem etiam minimas, nisi mutet in meliores.

Hac & simili ratione vivere in studiis vel alio munere, est mores non mutare, sed eos ad objecta & occasiones, officiaque per obedientiam mutata applicare. Hac similique ratione post Professionem vivere desidera, Statue, & mox post illam incipe, auxilium Divinum implora. Sic enim faciens, non tantum non perdes quidquam de fervore, primitùsque Spiritûs in Novitiatu hausti, sed etiam multo cum fœnore eum in te augebis ac stabilies, cum plurima cordis tui, & aliorum tecum conviventium consolatione atque ædificatione.

CAPUT II.

De Natura novi Religiosi.

COnsidera naturam novi Religiosi, tuam scilicet, quâ ex Tyrocinio prodeas, prodierisve. Etsi enim non omnes eodem modo dispositi, affecti, perfecti, in bonis moribus solidati, & habituati prodeant, sicut non eâdem etiam omnes fer-

voris menſurâ Tyrocinii tempus tranſigunt, nec easdem omnes luctas in ſe debellandas habeant, tamen quales ut plurimum plus minùs prodeant, qualisque & tu probabiliter, humiliterque de te ſentiendo prodeas, utiliter conſiderare potes, quod quidem ex ſequentibus imaginibus ſpeculisque diſces.

Prima igitur ſit imago ab Agro vel horto deſumpta. Ager quantumlibet cultus ſit, & à rudibus noxiisque herbis purgatus, ac bonis ſeminibus conſitus, ille tamen ſuâpte naturâ partim, partim ex radicum profundè hærentium fibris reliquiisque noxias herbas & frutices pullulare non deſinit, & usque adeò ſimul cum bonis herbis eas fundit, ut niſi adſit agricolæ induſtria, bonas ſegetes malis ſupprimat ac ſuffocet. Talis eſt prorſus novellus Religioſus, qui per tempus Tyrocinii ſui, eſto ſuâ Magiſtrorumque Spiritûs induſtriâ, ac Divinâ gratiâ optimè cultus, à vitiis, ab actibus, à paſſionibus malis inordinatisque purgatus, conſitus etiam bonis optimisque doctrinis & actionibus, & affectibus, & Regulis, tamen niſi adfuerit propria & Spiri-

Spiritualis Magistri, etiam post Novitiatum cura & diligentia, & putata pullulabunt, & putata recrescent, & excisa renascentur; pravique mores ad tempus domiti, recisi, repressique reviviscent, naturaque ad sua jura, ad sui scilicet quæsitionem redibit, & cum bono semine excrescent simul spinæ, suffocabuntque nisi caveris, ac bonum semen & spem agricolarum operamque eludent. Hoc expende diligenter, & altè animo demitte, tibi ac tuæ in Tyrocinio acquisitæ perfectioni mortificationique ne fide, sed sta in timore, & scito, quia velis nolis in medio tui habitat Jebusæus, & igniculus perversitatis adhuc vivit, & natura adhuc in te tota integraque in sua vivacitate est, cui si quid indulseris, si quid de conatu remiseris, si adductas hactenus mortificatione laxaveris habenas, insolescere & recalcitrare, sessoremque excutere facillimum erit. Nolis hoc experimentum discere, sed elige, ut te faciant aliena pericula cautum.

Secunda Imago desumpta â natura bestiarum, quæ arte humana usuque cicurari & modos quosdam humanæ rationis imitandæ

tandæ ediscere solent, si tamen suas illis connaturales delicias objicias, illico institutionis illius oblitæ vel in medio cursu artificiosarum actionum naturam resumunt, & ejus impetu feruntur in sua objecta, unde illud vulgare: *naturam expellas furcâ, tamen usq; recurret.* Tale prorsus est ingenium naturarum, tale & tuum, tuæque naturæ inferioris pondus; domari quidem potest natura, subigi & subjici ad tempus potest: potest & in rationis, ac fidei, & gratiæ, & disciplinæ ordinem, mortificatione severitateque tanquam fræno cogi, tamen, illa semper excubabit vigilanter ad suas cupedias sensuales, ad suas propensiones naturales, ad sua Jura injusta, ad effrænatas impotentias suas, ad illiberales libertates suas; est enim admodum retinens natura sui juris, & sub omni, imò sine omni occasione, semet ipsam quærere, oblectare, tueri, fovere non omittit. Novit etiam dolosissime necessitates comminisci, novit contra rationem pugnare ratione, novit sub auxiliis gratiæ adversarios parare gratiæ, Spiritumq; spiritualibus figmentis eludere, ac opprimere. Quantumlibet

bet ergò putes, te naturam humanitatemque tuam domuisse, vel exuisse etiam, ne crede tibi, usque & usque illa recurret, cum minimè senseris, imò hunc ipsum sensum tuum, quo domitam naturam tuam plus satis credis, indubitanter scito jam esse viventis, revalescentisque naturæ sensum ac motum & impetum; Quanto ergo magis domitam naturam tuam credes, tanto minùs domitam crede: tunc magis erit domita, quando tibi minimè videbitur domita. Sic enim timebitur, cavebitur, premetur, consequenter domabitur.

Igitur sic post Professionem vivendum, ut te natura magis nunc hostem, quàm antè experiatur, ut magis nunc gratiæ contra naturam, Spiritui contra sensum carnemque milites, & arma suppedites, dans operam, ne in te occupationum (qualia sunt studia, & aliæ exercitationes) fervore incalescant humani inferioresque affectus, intepescat verò solidarum virtutum, & Religiosæ vitæ amor.

Tertia Imago, similis illi Horatiano Adolescenti, *tandem custode remoto:*

Gau-

Gaudet equis canibusque & aprici gramine campi
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.

Aut si mavis, similem illi prodigo filio, qui acceptam à Patre substantiam promovit, male & incaute vivendo utendoque, solent namque Novelli Religiosi, à disciplina rigorosiore, (ut quidem illis nihil præter Tyrocinium expertis videtur) & ab oculis manibusque Instructorum Spiritualium digressi, atque ad vota admissi, imaginari sibi jam omnia bella esse finita, jam satis datum observantiæ duriorique vitæ, jam sibi licere competereq; custodibus procul vivere, aut certè conniventes illos habere. Hac persuasione, de qua iterum erit consideratio. nihil perniciosius Novello Religioso, ut proinde nihil detestabilius esse debeat. Contingere hoc Novis Religiosis ut credas, expende diligenter Verba S. Bonaventuræ, ita de illis scribentis: *Nonnulli mox ut prima limina bene vivendi attigerunt, obliti quid fuerint, affligi jam per pœnitentiam de consummatis nequitiis nolunt laudari etiam de inchoata justitia appetunt, præesse etiam melioribus se concupis-*

cupiscunt : oneribus difficilibus occupati, atque ipsa occupatione confusi, non solùm perpetrata minimè deplorant, sed ad hæc quæ deploranda sunt, accumulant. Eam ob rem idem Religiosos tales admonet, *Præsumptionem fugere, profectum profiteri, curam terrenorum abjicere, charitatem, humilitatem, paupertatem, constante affectu exercere, & super omnia se ipsum considerabundè attendere.*

Hoc igitur maximum in egressu Tyrocinii timendum & cavendum; nè putet se jam esse absolutum ab omni cura & custodia, ne putet sibi jam majorem libertatem dissolutionemque competere, nè putet fas esse sibi, in Regularum & disciplinæ observantiam, inquè sui continendi rigorem impunè peccare, hoc enim esset effici Juvenculum indomitum, ut vocat Spiritus sanctus; hoc esset fieri Onagrum in sylvis, qui se liberum natum putat; hoc esset fieri osorem correptionis, & consequenter vestigium peccatoris; hoc esset tradi in reprobum sensum, & in animum irreverentem, ac infrunitum, quâ pœnâ vix post damnationem æternam, ulla potest cogitari major.

Quarta Imago. Sciat Tyro se modo esse velut ceram mollem, velut teneram arbusculam, velut tabellam rasam, politam, mundam; Quas & qualibus sigillis figuras, in hac vita sequenti accepturus sit, attendere debet; quam in partem & à quali manu, à plantatrice & erudita, an ab eradicatrice & ignara, flectendus, purgandus, præcidendus, circumfodiendus sit, attendat; quali manu & quibus characteribus imbuendus sit, videat; nè adulterinam effigiem expressam accipiat; nè adulterina manu venenato purgetur cultello; ne in Aquilonem, à quo panditur omne malum, flectatur; nè spuria vitulamina inserantur, boni autem palmites resecentur: ne informes, ac funesti characteres imprimantur, quos nunquam deinceps, aut vix unquam eluerit, ne sibi cœco, cœcus quis & malè feriatus Magister ducatum præstet, seque secum in foveam præcipitet; eam ob rem nemini se facilè permittat, sed ab eis, quos invenerit Dei locum tenere, expectabit indagabitque vitam bonam, & Dei voluntatem. Interroga Patres tuos & dicent tibi, Majores

tuos & annunciabunt tibi de vita, in qua ambules. Si enim obvio cuique & arridenti captantique se adjunxerit, ut cœcus luscum ductorem reperiet, quodsi etiam se ipsum Magistrum sibi constituet, utique stulto & ignaro, se discipulum subdet.

Itaque legitimâ & à Deo constitutâ ordinataque via, quam in Tyrocinio didicit, progredietur Tyro; ceram se exhibebit, arbusculam se exhibebit, tabellam se exhibebit, sed solis præpositis, Ducibus, Patribusque Spiritualibus, quos sortitus Deo providente fuerit: ad aliorum consilia & monita, non temere; non securè accedet, nisi consultis approbantibusque majoribus, hoc secum statuet, hoc à Deo supplex petet, & sincero simplicique corde, Dei se providentiæ gubernandum permittet: hoc specialiter flagitabit, ut sibi, tam Superiores, quam Spirituales Patres, quàm Confratres, Sodales Cohabitatoresq; omnes provideat, qui sibi sint Duces ad Deum, adjutores ad virtutem, stimuli ad sanctitatem, media ad perfectionem, atque ad æternam salutem, iis quidem, quibus Dei Sapientissimæ voluntati, & omnipotentissimæ Sapientiæ complacuerit modis.

CAPUT III.

De fundamentis, quibus immobiliter inconcusséque, oportet inhærere novum Religiosum egressum ex Tyrocinio

NOtum esse debet omni Religioso, si velit inconcusse stare, seque in suo arrepto proposito, statuque conservare, quædam debere diligenter defendere, conservarêque veluti fundamenta ædificii sui ipsius, quibus manentibus stare, ruentibus labi necesse est, omnem structuram: non secus ac illas Domos Evangelicas à Christo Domino depictas, quarum una, in petra firma quod esset ædificata, nec fluviis, nec imbribus, nec ventis, nec fluminibus everti potuit; altera quia in arena fuit fundata, supervenientibus ventis ac tempestatibus eversa est, factâque ruina Domûs illius magna. Fundamentorum.

Primum sit, vehemens, ardens, solidus, inconcussus, obstinatus & prorsus in Dei salutisque amore radicatus, vocationis Religio-

ligiosæ amor. Quo amore solidatus & nunquam de vocatione deserenda cogites, & nunquam in ejus tenera, grandique appretiatione fluctues. Omnes quidem desertores mundi & Religiosæ vitæ asseclas, ab ipso primordio conversionis suæ, oportet esse ad omnes contra vocationem Religiosam insultus Dæmonis cœcos ac surdos, ac planè rupes, peculiari tamen modo in Novellis Religiosis & ex Tyrocinio digressis, id necessarium est. Etenim sicut Novitiis à sæculo ad Religionem confugientibus occurrunt non pauca insperata, difficilia & aspera inexpertis, ex quibus proprium est, accedente Diaboli astu ad omnes cogitationes & occasiones intenti, cogitationibus contra vocationem titillari, aut etiam pulsari, pœnitudineque arrepti propositi percelli, in quo casu, opus est esse eos præsenti animo, & in Deo fidenti, atque Superiorum suorum consilia exquirere, iisque niti, si victores esse velint; ita Novellis Religiosis possunt se offerre aliqua inexpectata insperataque, ad quorum vel præsentiam vel opinionem, animo cohorrescant, pœnitudine etiam

qua-

quadam percellantur, fluctuent, ignari quid teneant, quove se vertant. In quo casu consimiliter opus est eos planè rupis instar, stare inconcussos, in vocationis amore ac pretio, fidere Deo, cui se totos permiserunt, votisque donârunt, recurrere ad viæ vitæque suæ Duces, iisque candidè omnia aperire, quibus non nihil conturbari contigerit, eorumque stare consilio; experimentô haud dubiè discent, monstra illa, quæ videbantur viribus suis superiora, risu fuisse explodenda tanquam pueriles terriculationes. Hoc tamen facere non poterit, qui vocationis amator non fuerit immotus, qui sibi fidens, viribusque suis, non ad Deum, non ad Superiores suos recurrerit. Itaque saxeum & ad emolliendum concutiendumque impossibililem vocationis amorem in pectore cordeque tuo gerens ubique defer, ita, ut cum Dei gratia possibilius sit cœlum & terram transire, quam te, in vocationis amore solidè fundatum, tantillum etiam agitari, vel dubitare, vel tepescere, &c.

Aliud Fundamentum, cui immobiliter Novellus Religiosus debet inhærere, si cupit

pit in consequente vita, spirituale suum ædificium inconcussum stare, ac porro etiam valde in profectu crescere, esto vehemens & ardens, & robustus, & ad omnia opponentia se pervincenda resolutus, perfectionis in omni virtute statui tuo convenienti amor, ex quo amore fluat in te. I. Incessabilis insatiabilisque fames, magnæ non plebejæ sanctitatis, perfectionis. II. Inviolabile & nusquam interruptum, proficiendi profectumquè curandi, æquè in summis ac in minimis exercitiis propositum. III. Infatigabilis labor in curando & exercendo profectu acquisitionéque virtutum. IV. Ordinaria simúlque perpetua diligentia in omnibus propter Deum susceptis oneribus, cum summo fervore devotionis perfectioinísque, ut exosa Deo tepiditas locum non habeat.

Adverte porro, hunc talem, támque prægnantem resolutione perfectionis amorem, raros admodum secum ad Religionem deferre, rariores etiam, qui hunc amorem utcùmque detulerint, eum deinceps in Tyrocinio conservent, reperiri, ordinariè namque cum in Tyrocinio de-

per-

perdunt, neque ad ſtudia & alia munia deferunt: quod, ſi cui non contingit, tamen poſt profeſſionem rarus eſt, qui hunc amorem non deponat deperdátque, vel ſaltem de eo non ſenſim remittat, magno utique Spiritûs & perfectionis damno, Diviníque honoris injuria, & quidem non tam ſtudiorum, aut convictuum &c. ut vulgò dici credíque ſolet, ſed Religioſorum culpâ. Hi enim egreſſi à Tyrocinii diſciplina, ante omnia, & non advertenter ferè reſpirant ab onere diſciplinæ; rigoris Novitiatici, quaſi feſſi, æquè impoſitum finem à tempore, ità & imponendum à ſe in obſervatione imaginantur. Admittunt etiam perſuaſionem laxioris vitæ obſervantiæ, poſt profeſſionem minoris Superiorum vigilantiæ, lentioriſque exactionis, inde & ipſi remittere ſe poſſe putant, deq; facto, veluti acquiſito jure, remittunt, de ſui cuſtodia, de collectione, de ſilentio, de modeſtia, de orandi frequentia. de præſentis Dei memoria, reverentiáque, de rerum, lectionum, Spiritualiûmque colloquiorum cura, itá ſenſim irrepit negligen-ita, perfunctoriáque divinorum tractatio,

irrepit

irrepit contemptus & omissio solitorum exercitiorum, irrepit libertas sensuum internorum externorúmque, effrenatio passionum, garrulitas, oblocutiones, familiaritates, levitates succrescunt, & emergunt, quæ latuerunt, vitia pravíque habitus, effugatur devotio, amittitur, si quis fuerat, Spiritus, deperit fervor; multa negliguntur, multa in oblivionem abeunt, omnia negligenter, perfunctoriè, & ni speciem tantùm peraguntur, obruitur gratia, revalescit natura, excluditur Deus, lascivit caro, regnat Diabolus. Ergo corrumpuntur in studiis, convictibus, aut diversis muniis Novelli Religiosi, non tam ab occupationibus & locis, quam à semetipsis, nec par aliud quidquam nisi quia respiratum est in fervore & disciplina, & resolutus obstinatusq; perfectionis amor, vel extinctus, vel restinctus est. Hunc tu igitur amorem tanquam radicem, tanquam fontem scaturiginem omnis boni, omnis salutis, omnis in bono perseverantiæ, atque progressûs in te serva & tuere tanquam pupillam oculi, tanquam cordis medullam, tanquam ædificii fundamentum, tanquam totius vitæ provisionem maximam & sumptum.

Tertium fundamentum, cui debet Religiosus Novellus immobiliter inhærére, si cupit in Spiritûs virtutísque integritate conservari: est resolutus & obfirmatus, obstinatúsque amor, haustæ in Tyrocinio bonæ institutionis, omniúmque piarum, quas didicit, & cœpit, vel etiam assuevit servare, consuetudinum & observationum, de qua re aliquid supra consideratum est. Etenim Novellis Religiosis contingere solet, ut cum ad studia, imuniáque veniunt, excipiat eos. propter novitatem; mutationémque illis insolitam verecundia quædam observandi liberè, & palàm ea, quæ in Novitiatu didicerunt, quæ verecundia quandóque etiam dicteriis, jocis, nutibúsque censoriis antiquorum incutitur, quandoque ex ipsis eorum mentibus teneris adhuc in virtute erumpit, nonnunquam etiam à studio placendi, vel à metu displicendi, negligentioribus, dissolutioribus, in quos fortè incidunt, illa ipsa verecundia promanat. Eam ob rem, oportet hac in parte novum Religiosum surdum & mutum & stultum esse, & piè impudentem; dominum in virtute & possessione recti, ac

tena-

tenacitate disciplinæ rigorosæ haustæ in Tyrocinio, apparere, surda aure præterire risus & censuras aliquorum, & ostendere factis, quod non specietenus pietatem disciplinámque colat, sed quod eam in pectoris intimis radicatam gerat, nec sit arundo vento agitata, neque erubescat Christum & Evangelium, sed in virtute, ejúsque cultu & possessione Dominus & hæres, sicut etiam Religiosa Domus est Regnum virtutis. Hoc si faciat & præferat novus Religiosus, subitò matura vice in admiratione apud irrisores iocatorésque erit, simúlque sibi legem ponet ac necessitatem figet deinceps in cursu temporis sic se gerendi, atque ità stabit firmus & inconcussus, ipsisqne incidentibus contrarietatibus, fiet robustior in virtute, ejúsque cultu & possessione, & solidior ejus possessor, quòd totum perdunt timidi, & virtutis cultum professionémque erubescentes, hominibúsque magis quàm Deo placere & obedire cupientes.

Vide igitur nè sis ex horum numero, sed inter eos annumerari velis, qui potentes sunt in virtute & studium pulchritudinis

nis habent, & audent pro Deo, pro disciplinæ cultu, pro Regularum observantia, pro conscientiæ suæ teneritudine tuenda, pati aliquid & contemni, contemneréque linguas. Sic enim fiet, ut & ipse robustus evadas, & alios exemplo confirmes, inque bono conserves, sicque evadas columna in Domo Dei, etiam in teneris atque primis Religiosæ tuæ vitæ annis. Tanti nimirum est, mores in Tyrocinio haustos, disciplinatos serio profiteri & servare. Et revera ad hoc Tyrociniorum institutio præmittitur, ut mores in eis hausti, sint fundamenta morum, totius sequentis vitæ Religiosæ, qui si ab initio statim abjiciantur, quæ spes poterit esse bonitatis perfectionísque in sequenti vita. Obfirma igitur animum ad omnia animosè & sinè pudore servanda privatim publicéque, quibus informatus & imbutus es, tam in homine interiori, quàm exteriori, néque facilè tuam ullam consuetueinem bonam, ob metum, vel pudorem, vel pigritiam, aliamque frivolam causam in gratiam idoli: *quid dicent?* deponas aut immutes, nisi fortè in meliorem.

CAP.

CAPUT IV.

De causis internis, ob quas collabitur Spiritus in Novellis Religiosis.

CAusæ, ob quas collabi solet Spiritus, Religiositasq; in Religiosis novis post Tyrocinium, quædam sunt internæ & in ipsis, quædam extra ipsos. Primùm internæ considerandæ veniunt.

Prima causa interna est Tyrocinium segniùs absolutum, negligentiusque curam locatam in mortificatione amoris proprii, in compressione sensuum à pronitate ad sensualia, & ad carnem & sanguinem: Item in observatione minimarum Regularum & Instructionum; Item in contrahenda cum Deo familiaritate per Meditationem, Orationem, usum Sacramentorum; per examina conscientiæ, sub Recollectionem, Resignationem &c. Hæc enim qui non habet, qui in Tyrocinio non collegit, & quidem in abundantia, similis est Cicadæ, quæ totam æstatem in stridore, cantu, saltuque consumpsit, veniente autem brumali frigore, omnia in arctum cogente, fru-

ctus-

ctusque omnes in horrea convehente, & concludente, cogitur fame mori, & frigore rigescere, instar stulti illius prgrique, qui propter frigus arare noluit, & deinde in angustiis anima ejus esse cogitur.

Ejusmodi Novitio non esset pes extra Tyrocinium proferendus, sed tamdiu inhærendum, quamdiu non meliùs armatus, instructus provisusque prodire possit. Quodsi quâ inadvertentiâ illum amandari continget, huic Tyrocinii damna per industriam Superioris, Spiritualisque Patris, dextrè fideliterque forent compensanda, Tyrociniúmque extra Tyrocinium clàm omnibus aliis esset peragendum & Spiritûs exercitia reassumenda, donec meliori loco sit res taliter affecti Religiosi: id enim nisi fiat, absque ruina spirituali vix possibile est ejus ædificium internum subsistere. In qua tamen necessitate sua, nè quis vel fiduciâ, vel pusillanimitate nimia decipiatur, & de se quàm deberet, oppositum statuat, suo minimè judicio stabit; sed Patrum Spiritualium, à quibus abiit, & ad quos transiit judicio innixus in hanc vel in illam partem inclinabit.

Se-

Secunda causa interna priori valde vicina est, Tyrocinium non omnino quidem malè absolutum, non omnino tamen intimè ejus cultura admissa, nec ad medullam cordis recepta, ità ut Novitius quidem fuerit bonus omnium sensu, cum quibus vixit, non tamen fundamentaliter, & ab intrinseco, sed magis ab externa vigilantia, & à studio devitandi censuras, non offendendive oculos, aliorum, ab occasionis procul remotæ defectu, quo fit, ut non tam sit bonus, quam videatur esse; nec tam fit bonus, quàm non sit malus: non sit autem. quia timet esse, & non habet occasionem ut possit esse: & item, ut iste, non suâ virtute interna, sed domûs, in qua vivit, beneficio abstineat à malis, contineaturque in officio boni Religiosi, quod tamen sæpè nec ab aliis, nec ab illo ipso, nisi in mutatione quapiam ex occasione advertitur, tribuitúrque personæ ipsius virtuti, quod revera & fuit, & tribui debuit beneficio loci. Est hæc observatio S. Francisci Xaverii, & S. Ignatii, cujus hæc verba sunt: *Hoc eò dico, ut animum inducatis, & quod revera ita est, vos idcirco à gravioribus*

flagitiis abstinere, quòd istic (ubi scilicet manetis) occasiones Deum offendendi desint. Nam qui nesciunt, undè tantum boni proveniat, quod loci domesticorumque beneficium est, virtuti tribuant suæ, proinde negligunt ea, quæ parva videntur, cum tamen sint per se magna: qui autem ea temere contemnunt, parvi ipsi sunt, ac meritò contemnendi. Hi ubi alio commigrant, ubi ab oculis, quos revereantur, abesse sibi videantur, ubi laxius se agere posse credunt, illico in deteriora labuntur, quia non habent frenum, quò detineantur: ostenduntque re ipsa, nuper non suâ se virtute interna, sed loci domesticorumque curâ bonos fuisse, qua deficiente, ipsi ad ingenium pravæ suæ dispositionis internæ protinus devolvantur, & ejus præscripto, discoli efficiantur. Atque hæc est obscura occultaque causa, quæ latens, multos trahit in admirationem, dum vident illum & illum, qui in Tyrocinio solida jecisse fundamenta videbatur, uberemque Spem bonæ frugis promittebat, in transversum valde abiisse, discolumque & gravem disciplinæ domesticæ evasisse.

Re-

Remedium huic malo eſt, in ſe ipſo non altero ponere gloriam ſuam; hoc eſt, ab intrinſeca cordis virtute bonum & diſciplinatum eſſe, ſecumque ſemper & Patrem Spiritualem & domum circumferre, neque pendere à Cuſtodibus externis, ſed ſibi eſſe cum Deo præ omnibus graviſſimum, rigidiſſimumque cenſorem & diſciplinæ exactorem. Talis enim eſt æqualis & idem ſemper, nec mutatur circumſtantiis, vel deſertus à diſciplina aliena, in ſe ipſo eam habet, atque poſſidens exhibet. Et te igitur talem eſſe cura. Sic te funda in virtutem, ut in te ipſam habeas radicitus hærentem, & non extraneis, fluxis, mutandis adminiculis ſolum nixam, etſi enim hæc quoque conferant, ſinè intimis tamen non diu ſtant.

Tertia cauſa eſt virtutum in Tyrocinio quæſitarum partim paucitas, partim teneritudo, partim ingrata naturæ nondum virtuti ſatis aſſuetæ earundem aſperitas, è contra verò vitiorum, pravorumque habituum, antiquitus contractorum, nec ſatis per Tyrocinium expulſorum, tum multitudo, tum in viſceribus animæ po-

tentiarumque illius radicatorum seu radicum remanſio, tum blandities, atque cum natura corrupta conſenſio; quibus utrisque cauſis, accedit naturæ pondus ſemper ad ſua commoda tendentis, aſpera virtutis abhorrentis, ad blandimenta vitiorum arridentis Ergo funiculus iſte difficilè rumpitur à novo Religioſo, ergo facilè diffluit quaſi prono amne ad originales miſerias, malitiasque ſuas, & ſenſim ſinè ſenſu, niſi valdè cautus ſit, & ſibi invigilans, atque etiam propenſionibus repugnans, retrahitur ad priſtina vitiorum corruptæque naturæ ſervitia, non ſecus & ut equus de ſtabulo & manu ſeſſoris elapſus, ſed nec freno, nec loro ſolutus facilè comprehenditur, atque ad conſueta ſtabula præſepiaque & belluinos labores reducitur.

Ea propter, novum Religioſum oportet hoc de ſe ipſo planè noſſe. Primo, quod magna adhuc in eo ſit naturæ vivacitas, multa & profunda vitiorum priſtinorum radicatio, paucarum verò virtutum teneritudo. Deinde oportet, ut bellum naturæ vitiisque movere non deſinat, ſed tanquam

in-

ingruente bello hosteque in acie armatus consistat, pro teneris & nondum satis firmatis nec in usum & facilitatem adductis virtutibus, perpetuo actionum virtuosarum attentione depugnet. Uno verbô, non arbitretur se comprehendisse, non putet se jam extra periculum esse, sciat in sua natura hydram esse, cujus capita & putata expullulant: mortua est una affectio; sed vivit altera. Non cesset ergo manus tua, non dormitet vigilantia, sed quidquid potes operari, instanter operare, nunc quidem tibi hac parte ad malum propendenti repugna, nunc verò illa parte, virtutem inchoatam, & auxiliares manus poscentem sustenta. Cooperare gratiæ, teque illi tractabilem exhibe, utere mediis Religioni consuetis; nec attende quid caro poscat, sed quid Spiritus velit, neque quid alii dicant vel faciant, sed quid Deus tuus, status tuus, conscientiaquè tua requirat à te, quidquid de aliis sit, quidquid ab aliis fit, omitte tu, non negligas temetipsum, naturæ persecutor, vitiorum hostis, virtutum cultor, gratiæ filius, perfectionis studiosus, tui contemptor, Dei amator.

CAPUT V.

De causis externis, ob quas collabitur Spiritus in Novellis Religiosis.

PRima causa externa propter quam solet aut potest evacuari collabique Spiritus in Novellis Religiosis, est ab occupationibus absorbentibus, quas inveniunt sibi post Professionem assignatas, v. g. Studiorum tractatio & quid simile.

Variis porrò modis absorbere solent occupationes ejusmodi. I. Quidem Novitate sui, cum post occupationes Tyrocinii novæ accedunt in manus literarum curæ. II. Affectu vehementi & profuso, quo in literas ferri solent, qui ad eas applicantur; qui affectus, aliquando & studio parendi & ex æstimatione necessitatis earundem homini Religioso promanant, optimis sanè ex fontibus, cœterùm degravant in pravum quandoque ex immoderatione. III. Exactione diligentiaque docentium, quæ item optima necessariaque est, sed tamen dum plus æquo aprehenditur, valde solicitum reddit Novum Religiosum, proinde in studiorum occu-

occupationes profusum, temporis ordinati incurium &c. IV. Æmulatione aliorum; quæ item laudabilis est, sed tamen inordinata profusione carere, & ab invidia procul esse debet. V. Accedit his Diaboli fraus, qui in omnes occasiones intentus adest, & æstuantem animum per se, incendio etiam immoderato inordinatoque succendit, & literarias occupationes sub horam meditationis, alteriusque piæ cum Deo occupationis (puta Examinis, lectionis, sacri,) memoriæ objicit utque interno mutato tantisper actionum ordine, labor Scholasticus acceleretur, cum indubia spe, alio tempore divina explendi concitat, quod proprium est Diabolicæ imposturæ, ordinem non pati, cui si semel obtemperes, ita (NB.) deinceps obtrudet alias actiones urgentes, ut tempus supplendæ Meditationi, Examini, alterive dilatæ actioni desit, omittique illam necesse sit, vel certè valde frivolè, obiterque transigi non absque jactura Spiritus & animæ, lucro autem inimici.

Hic malis omnibus, optimè Christi effatum medetur; hæc oportet facere, &

illa non omittere. Item illa: Primum quærite Regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis. Item; Reddite quæ funt Cæfaris, Cæfari, quæ Dei Deo. Francifcus Soarez notiffimæ vir fapientiæ, omnem Sapientiam eruditionemque perdere eligebat, quàm femel ftatum meditationis tempus negligere. Sic fapere oportet omnes, qui Religiofam Sapientiam eruditionemque conquirunt, quique olim Deum operâ fuá uti volunt, atque laboribus fuis benedicere alioqui Religiofus, fcientiam quærens cum neglectu officiorum Divinorum, fimilis erit homini fæculari, propter lucra temporalia violanti præcepta Dei, atque negligenti cultum feftorum dierum, auditionis Miffæ, Concionis. Quid enim intereft, ubi facias, modo facias immò verò deterior eft Religiofus, qui in hoc ftatu locoque facro facit, quod in fæculari, intrà mundum hærente, culpat.

Secunda caufa externa, ob quam Novelli Religiofi Spiritum deperdunt. eft quandoque prava dictamina. Quæ fponte fua ad illudendum fuæ confcientiæ formant ipfi, vel certè ab aliis temerè hauriunt,

hau-

hausta, tanquam oracula excipiunt, tanquam scilicet ab antiquioribus, rerum peritioribus, benevolentibus ignorantes discernere inter bonum & malum arripientes, quod sensui naturæ propriæque voluntati gratum, respuentes vero quod disciplinæ, Spiritui virtutique consonum. Dictaminum hujusmodi bene longum Catalogum experientia texit. Inter alia sunt hæc.

Primùm. Non est tanto rigore opus post Professionem, quantus exigebatur in Tyrocinio. Ingenium Novitiorum est servile, quod scrupulosè, superstitiosè, pueriliter, putidè, ad literam omnia metiatur, & explicet. At emergendum est aliquando ex ista servilitate, & liberaliter, liberè, ingenuè, ad sensum potiùs & usum accommodatè utendum ingeniô & regulis & disciplinâ. Scilicet sensui litera adversatur. Scilicet aliud sonat litera quàm sensus, scilicet in rebuspublicis unusquisque ad libidinem cupiditatis suæ, leges trahere potest: neque sunt usquam Principes aut Majores, ex quorum ore lex requiratur, sensusque legis in dubio cognoscatur.

Secundum. Vitam communem esse ubique locorum tenendam, legibusque loci utendum; ad mores, non cum moribus veniendum esse. est autem turpis dissonantia inter domesticos, proinde ad aliorum mores se, ut accommodet, oportet, qui recenter venit. Dum fueris Romæ &c. Turpe est, ut Juvenculus & hodie natus, reformet Religionem, Civitatem, domum; quasi nemo sapiat alius, quasi errent omnes. &c. Sed hæc non audiantur, responsum dedit intra se & dicit pius quilibet: Justitiam quam cœpi tenere, non deseram. Vita communis, non est illa, quâ multi eunt, ire, sed quâ omnes debent. In Regulis ista est, & Majorum, Superiorum regimine, non plurium abusu; non reformare quemquam volo, nec deformari à quoquam patior: non ad exempla, sed ad regulas vivendum est.

Tertium est. Utinam nulla essent peccata majora, nullæque transgressiones nocentiores his aut illis! camelum glutientes, culicem excolantes: o stupendam sanctitatem! in istis scilicet, minutiis & quisquiliis solida sanctitas posita! Actum

est

est de vita Religiosa, immò æterna, nisi hæ Pharisaicæ superstitiones observentur: In interioribus est sanctitas sita, in solidis virtutibus, non his externis coloribus. Hæc quid sunt quàm viperinæ voces, factæ ad evertendas innocentes animas, quibus respondendum quod supra: hæc oportet facere, illa non omittere. hæc aliis forte non sunt necessaria, qui solidiora habent; mihi qui infirmus adhuc sum, & infirmæ virtutis, saltem his observationibus minimis incumbendum est, roburque cordis tutandum.

Quartum. Non diuturni erunt isti fervores, nec longævæ superstitiones, deferent illum brevi isti scrupuli, ululabit cum lupis: ferrum ex igne recens calet & urit, refrigescet & par erit nobis. Ominationes istæ ab aquilone sunt, & brumam invehunt cordis, meramque glaciem & nivem spirant.

Timebit ergo istos minaces Prophetas, & ut falsi reperiantur, constantia virtutis efficiet. Time ne unquam vera prædixisse gloriari possint, & facias, ut nunquam veraces inveniantur.

Quintum. Jam tempus, è Novitiatu & deliramenta exuere, cum essem parvulus, loquebar, sapiebam ut parvulus: omne quod redolet Tyrocinium, ridiculum est, & erubescendum: recedendum est aliquando à nucibus & agenda seria. Seria scilicet, quæ conscientiam lædunt, quæ enervant disciplinæ vigorem, quæ Spiritum extinguunt. Verè isthæc seria mala sunt, quæ primitiis Spiritus & gratiæ, usque adeo sunt inimica. Atqui veteranorum perfectissimus erat qui dicebat: Geram me sicut primi anni Novitium.

Sextum. Duri capitis est & ferrei oris non acquiescere, nolle credere, suis primis conceptibus inhærere: In Novitiatu non docetur ipsa intima, solidaque perfectio, sed tantum dispositiones ad illam, quas tandem abjicere oportet & ipsam perfectionem ædificare; oportet esse mansuetum & tractabilem, non cervicosum non obstinatum. Si cum Superioribus Magistris & Spiritualibus res sit, verum est obediendum esse & tractabilem animum exhibendum, sed ad omnem ventum arundinis instar flecti reflectique, quis hanc servitu-

vitutem ferat? quis obedientiam voverit, & tractabilem exhibeat? Deo & Vicariis ejus obedire oportet, sed oppugnatoribus obsistere, aut saltèm obdurescere primæ virtutis est.

Septimum. Hoc vitæ genus serium & ad normam Novitiatûs exactum, scrupulosum, superstitiosumque est, proprium simplicium & devotulorum, est ignavorum, est pro Religione, Monasterio ineptorum, facit melancholicos, tetricos, rigidos, ad tractandum cum proximis ineptos: Si omnes sibi solis boni essent, qui facerent alios bonos? Religio vitam mixtam habens stat conversatione, ad proximos est instituta, requirit ergo conversativos: maturè assuescendum: potest esse in hilaritate morum, collectio Spiritûs. Sed & his dicendum est: Omnia tempus habent: impleri priùs opus est quod effundas, nec debemus esse canales, sed conchæ: discat miles in otio, qualis esse debeat in prœlio: ante messem efflorescere culpat Spiritus. S., præcoces fructus & partus non solent esse vitales: sat cito conversabimur, si sat bene; non simus antè Magistri quàm discipuli;

In Religione sunt alii anni, quibus proficimus ipsi, alii, quibus perficimus alios.

Octavum. In Religionibus plus prosunt docti, magnarum qualitatum, habentes talentum concionandi, conversandi, quàm illi, qui sancti sunt, modesti, ignoti; beata simplicitas sibi soli prodest, doctus, in ore omnium est, illius ingenium omnes prædicant & mirantur, etiam superiores, etiam Magni Patres. Falsè id asseritur, & cum injuria Religionum atque virtutis: Nimis clarè præcipit etiam S. Ignatius licet Religionis mere activæ fundator, *ut omnes ejus Filii, in solidarum perfectarumque virtutum studium incumbant, in iisque majus momentum esse ducant, quàm in ullis bonis externis, donisque naturalibus, illa enim interiora sunt, ex quibus vim & efficaciam, ad hæc exteriora promanare oportet.*

Ergo Spiritus & virtus solidaque sanctitas, anima est doctrinæ & talentorum, hæc autem corpus est, & sinè illa cadaver. Bona est doctrina & necessaria talenta, sed prima virtus & sanctitas, hæc enim instrumentum, scilicet hominem Religiosum Deo conjungit, & idoneum facit, ut Deus

cô

eô utatur ad gloriam suam. Omnes ergo Religiosi conflari debent ex virtute solida, & doctrina, sed illa corpus, hæc anima esse debet: qui autem ingeniosum sancto præferunt, insaniunt, & pedes capiti imponunt. Proinde etiam magni viri in his laudibus admirationibusque cauti esse debent, nè dent errandi occasionem ignorantibus, qui putent præferri ab eis doctrinam sanctitati, & talenta gratiæ atque solidæ virtuti, totique se conferant, ad sectanda & captanda naturæ bona neglectis virtutibus & contemptis: quod nihil aliud est, quàm evertere totum statum Religionis, impingereque Deo & gratiæ alapam, nec non virtuti parare ruinam, Sæcularitati autem & mundanisve aperire patentem januam.

Dictaminum perversorum finis non foret; tu hæc expendes ac ad animum demittes diligenter fugies & ex horum similitudine vestigiisque alia cognosces, cautusque esse disces, ut ab eis præserveris, libererisque.

CAPUT VI.

De aliis causis externis, ob quas collabi solet Spiritus in Novellis Religiosis.

QUarta causa externa, ob quam Spiritum quandoque perdunt Novi Religiosi post Professionem, est, Exempla non omnino ad legem, veteremque disciplinam ac Regularum normam exacta, in quibus contingit deficere aliquando antiquiores. Hæc autem multis modis soleat innotescere junioribus, atque variè etiam cor perstringere. Aut enim vident audiuntque parvifieri, ea, quæ ipsi magni facienda didicerant audierantque in Tyrocinio, aut vident aliqua fieri, quæ nunquam viderant antehac, quæve non sperabant evenire posse, quæve sciebant vel credebant prohibita esse: aut vident impunè transire quædam facta, Superioribus ignorantibus, vel conniventibus: aut vident facultates, dispensationes, permissiones, exemptiones, immunitates, impunitatesque, aut vident abusus, licentiasque & laxitates, commoditates superfluitatem redolentes, sive etiam

non redolentes, sed necessitati aliquatenus indultas alicujus infirmi, laboribus annisque fracti: aut vident modos agendi aliquorum in officiis commendatis, puta præcipitatas actiones, festinationes perfunctorias, & specie solâtenùs peractas. Commissiones etiam, largitiones & acceptiones munerum: inter domesticos interque Externos furtiva colloquia & eruptiones ad conversandum clam & invito Superiore: aucupationes curiosarum, nitidarum, comptarum, preciosarum recularum, non absque superfluitate; sæpe etiam fortè sine facultate.

Hæc dum vident novi apud antiquiores, commoventur, & scandalum patiuntur teneræ, & inassuetæ talibus eorum mentes, atque conscientiæ scandalizantur. Et vel ita ut contristentur, reprehendant, censurent, vel ita, ut arrideant, imitentur, aut certè in eandem libertatis occasionem devenire gestiant, immineant, apud se statuant. Quæ utraque scandali ratio pessima est: posterior tamen, in communem disciplinam nocendi vim habet majorem, imitatur enim mala. Utraque tamen est Novis Religiosis fugienda, ut nec damnent facien-

facientes, nec protinus æmulentur, imo nec in futurum proponant æmulari. Cupiant potius in ejusmodi occasiones necessitatum non devenire: Sciant certissimè etiam non ideo meliores se esse iis, quorum exempla minus commoda venient; sciant sæpè virtutem esse, vel ex virtute fieri, quod arbitrantur vitiosè factum; sciant plus prodesse publicæ & communi rei antiquiores, esto aliquibus videantur scatere imperfectionibus, quàm Novellorum teneras observantias: sciant denique non omnia omnibus apta esse, & unum effectum specie, veterano rerum gnaro minus nocere, quàm noceret tenero & Novitio in conversatione Religiosa. Sicut unus idemque ventus quasdam arbores robustiores fovet, qui teneris nocet; & cibus unus idemque ab unius ventriculo concoquitur commode, alterius autem valitudinem vitiat valdè periculose. Arma Saulis, Saulem protegebant, quæ Davidem & gravabant, & in incessu motuque præpediebant. Artium Professores & periti, etiam errores facilè vertunt in obsequium artis; rudes verò etiam in bene agendo hærent, neque

se-

ſecuri peragunt. Simile eſt & in peritis ignarisque viarum, illi ſi errant, ſciunt redire in viam, iſti ex errore in errorem pergunt. Idem evenit veteranis & Juvenibus Religioſis. Tu igitur ſic vivito, ut judices neminem, optimum autem quemque ſequaris, potiſſimum autem Regularum & Spiritus ductum ſequaris.

Quinta cauſa externa, quâ fit, ut Novi Religioſi, Spiritus damna ſentiant, eſt converſatio cum veteranis. Videri poſſet ex re atq; commodo novorum Religioſorum eſſe, ut à Tyrocinio abſoluto mox veteranis miſceantur ſinè diſcrimine, à quibus praxim totius vitæ, omniumque actionum & officiorum, facilè & prorſus ad oculum diſcant: attamen, oppoſitum placuit obſervantiſſimis quibusque & Magiſtris Spiritus, & Religioſorum Ordinibus (videantur Hæftenus, & Lairvelz in Catechismo Novitiorum) quorum aliqui, Juvenes poſt peractum Tyrocinium, etiam ad quadriennium & amplius arcent à veteranorum conſortio, Societas biennio ſeparationem hanc definivit, ita tamen ut brevior eſſe non poſſit protractior eſſe poſſit, prout judi-

judicium erit Spiritualis. Observare autem est, in iis monitis, quæ de separatione juniorum Societas condita habet, unum solumque esse hunc monitorum sensum, nihil omnino habere commercii Juniores cum veteranis, nullam colloquendi conversandique occasionem. Rationem adeò salubris consilii habent omnes Religiosi Ordines, nec unam, nec tenuem. Ea, quæ de dictaminibus, deque exemplis supra considerata sunt, facilè evincunt & satisfaciunt.

Accedit, quod novi Religiosi adhuc plerumque habent rudem intellectum, & ardens quidem sed tamen insipiens cor, ut nesciant separare pretiosum à vili, & eligere bonum, reprobare autem malum. Huc facit illa cautio Domini, quâ rationem dedit, cur discipulos novos voluerit esse separatos à legalibus ritibus Ecclesiæ: Nemo, ajebat, mittit vinum novum in utres veteres, sed novum in novos, nec pannum veterem assuit panno novo.

Hanc igitur tibi pone legem primo post professionem tempore, ut antiquioribus in Religione honorem exhibeas eorumque com-

comparatione, te planè Novitium judices ac censeas, congressum tamen, colloquiumque omnino devites; multoque minus familiaritates ac confidentias, præsertim clandestinas, prohibitas, & cum ruinæ indiciis conjunctas esse scias, etiam nunc, quando contingit ex more, vel occasione veteranis commisceri, in scholis, exhortationibus, Missis, communionibus, obsequiis refectorii, sic te gere, ut veteranis honorem exhibeas, sed colloquium, sed aurem, sed familiaritatem nequa quam præbeas, salva morum urbanitate, magis etiam salvâ Religiosi silentii, disciplinæque de separatione, integritate. Si hæc tibi separatio esse gravis & tædiosa cœperit, si anhelare si ambitiosè occasiones captare, vel optare congressũ colloquiumq; veteranorum cœperis, si furtive nutibus & corridere & colloqui, habe hæc Spiritûs tui vacillantis tepescentisq; non levia, non dubia vel indicia, vel initia &c.

Sexta insuper causa externa, ob quam collabi solet Spiritus in Religiosis novis, est conversatio cum Externis, non eam intelligo, ad quam exponitur quis ab obedien-

tia,

tia, quandoque etiam mox à Tyrocinio absoluto, quæ etiamsi ità quoque prudens & circumspecta esse debeat, facilem tamen habet plerumque à Deo benedictionem ex merito obedientiæ, & observatis mediis à Religione præscriptis: sed illam intelligo conversationem cum Externis, præsertim cum discipulis atque adolescentibus, ad quam nonnulli nonnunquam Religiosi sicut temerariè prorumpunt, ità infelicissimè alliduntur atque confringuntur, & tum virtutis, tum Spiritûs, tum disciplinæ, tum omnino fidei pudorisque naufragium faciunt, sæpe vocatione, sæpe & mente ipsâ excidunt. Hoc malum à parvis, & vix notandis culpandisque initium sumit. Sed nisi Religiosi adolescentis anima conscientiaque cauta sit, & tuta etiam timeat, in arcta affectionum incompensabilium vincula sese induet sensim, ut nullæ diligentiæ, nullæ custodiæ, nulla consilia, nulla impedimenta, nullæ pœnæ coërcituræ sint, dissoluturæve infelicem amicitiam, & visceroſi affectûs amorisque conglutinationem.

Cavebit ergo Novus Religiosus sibi à se ipso, à Zelo suo, ab amore suo, ab oculis

suis:

suis: Cavebit à munusculorum per se, vel alium oblatione: cavebit ab invitatione ad hunc illumve locum colloquendi gratiâ: cavebit ab æmulatione aliorum, ab invidia conversantium, cavebit à laudibus & commendationibus: cavebit à castissimo quamvis affectu, cavebit ab omni occasione, provocatione, blanditiis, occursibus, à spontaneis sui ingestionibus: sciat certissimo, inconstantissimos & illusorios tales esse amores ei, dum is, qui amat, insanit, effunditque se maxime: tum eum, qui amatur captaturque, illudere, & insultare amanti maximè. Noli ergo, ô simplex & imperite rerum Religiose Novelle dare te in gaudium inimicis tuis, noli ponere maculam in gloria tua, esse proditor pudoris tui, noli esse captivus tyrannici affectûs tui. Si amorem & æstimationem vis omnium, præteri illos cum honore, meliores illos fac, silentiô, verecundiâ, modestiâ, studiô, Religiosô exemplô, humilitate. Tales enim Religiosi semper sunt in admiratione, æstimatione, veneratione: His vero dissimiles contemptui sunt, fabula sunt, illusioni expositi & prostituti tam domi, quàm foris

sunt,

sunt, præsertim quod innumeris, iisque gravissimis molestiis, internis & externis, conscientiæ aut famæ, apud Superiores obnoxii sint, faciant te cautum hæc considerata, malisque ea consideratione discere, quàm infelici experimento tuo aliis in exemplum esse.

Septima causa externa, ob quam collabi solet Spiritus in Novis Religiosis, est conversatio & excursio ad consanguineos Parentesve. Ad hanc excursionem, ut plurimum inviti Novi Religiosi ab initio descendunt, extracti nempe, vel necessitate domesticorum negotiorum, vel importunitate flagitantium: unde ab initio, ut dixi, coacti ad suos discedunt cum tædio apud eos morantur, repugnanter ad eos revertuntur, sensim tamen hæc repugnantia tollitur, animique ille rigor à Religiositate contractus, mollescit ac deponitur, dulcescit conversatio, & conspectus suorum, sensualis illorum amor, teneritudo, solicitudoque pro eorum bonis successibus admittitur, vel reviviscit, libenter adeuntur vel audiuntur, quomodo illis auxilium vel solatium excogitari possit, cogitatur, ex proposito

nego-

negotia trahuntur, non finiuntúrque, ut haberi possit justa occasio redeundi ad illos in tempore, trahitúrque res per annos plures; ut conversandi semper sit necessarius prætextus. Interea impletur anima, mundo, carne, sanguine, tricis, curis, solicitudinibus, intercessionibus, odiis & simultatibus: inciditur in antiqua vel in nova pericula lapsuum, libertatum, peccatorum: accipiuntur clanculariè subsidia necessitatum, cum injuria paupertatis, & obedientiæ Religiosæ, datur occasio sermonibus, oblocutionibusque domesticorum, molestiæ, amaritudini & solicitudini, & suspicionibus Superiorum: Quandoque Superiores ipsi Spe lactantur commodorum temporalium: ostentatur etiam aliquis fructus Spiritualis, emendatioque morum secuta in Parentibus, in fratribus, affinibus, ex sublatis odiis insidiisque inter vicinos: sed interim ipse Religiosus Spiritum amittit, disciplinæ impatiens evadit, aspirat ad vagandum morandúmque extra domum, jacturam studiorum, qua Spiritualium, qua literariorum subit, de bono nomine tam suo, quàm Religionis, non parum detrahit,

trahit, quin etiam in tentationes de vocatione, de castitate incidit, & aut naufragium sui simpliciter facit, aut ægerrimè, exspoliatus, saucitusque evadit. O quanti suo infelici experimento ista didicerunt ipsi, docueruntque alios.

Amator ergo sui Spiritûs, sui statûs, suæ integritatis virtutisque Religiosus omnis, difficillimus erit & rarissimus, in adeundis Parentibus, consanguineisque, brevissimus & parcissimus in mora, in mansione, & collocutionibus cum eis. Erit inter eos tanquam peregrinus & alienus, testem sui, socium habebit semper, & vel nolentem apud se retinebit, vel nec discretionis causâ abire patietur, citissimè ab eis avolabit, causas eos adeundi, vel cum suâ temporali jactura præscindet: in se, non in Superiores, cur consanguineos adire vel nolit, vel non possit, devolvet, à Superioribus autem invidiam amolietur, nihil ab eis accipiet pro se privatim omnino; curas, tutelas, patrocinia, negotiorum tractationes nullas suscipiet, sed ex Christi Regula, ut mortuos suos sepeliant, sinet. Hæc bene considera & penetra, & in usum tuum converte, &

con-

conversationem cum carne sanguineque omnimodè devita: Neque unquam crede te habere adeo firmum Religioso rigore pectus, ut calore, sanguine molliri, naturaliumque necessitudinibus & amorum familiaribus jaculis penetrari & impugnari non possit.

CAPUT VII.

De Industriis, quas servent ii, qui ex Tyrocinio veniunt.

Colligi quidem possunt ex præmissis, potissimum ex prima & tertia, aliquæ Industriæ, quas propter Spiritum conservandum, servent ii, qui ex Tyrocinio veniunt, sunt tamen aliquæ particulares, quæ plurimùm juvent Novum Religiosum ad vitam degendam post Professionem, licèt etiam servire possint iis simpliciter, qui ad locum, studium, munus aliquod de novo veniunt, esto non sint de Novis Religiosis.

Industria I. Cùm aliquis de novo ad aliquem locum, studium, officium venit, maximè si ex Tyrocinio & Novus Religiosus est, sumpto aliquot dierum spatio semeti-

metipsum aliquantulum recolliget, & qualiter vitam suam Religiosam, attentâ occupationis suæ futuræ naturâ, nec non ejus Regulis, ducturus sit, apud se statuet assignando quoad poterit, his piis Exercitiis consuetudinibusque tempora certa, loca, occupationes, occasiones, in quibus ea conservare & exercere velit, absque censura & nota aliorum, absque damno suo, absque præjudicio aliorum, cum accommodatione ad communem & laudabilem ejus loci, vel officii cursum receptumque modum.

Industria II. Contrahet notitiam competentem cum Superiore suo, Patreque Spirituali & Professore futuro. Et Superiori quidem ac Patri Spirituali, sive Confessario statum suum interiorem necessitatémque aperiat, ut ab eis tanto fidentius certiúsque dirigi possit, tum etiam documenta & cautelas, secundum quas vivere, officiúmque assignatum obire debeat, salvâ disciplinâ Religiosa, salvâ Conscientiæ Spiritúsque sui integritate. Professori verò seu Magistro suo, se quoque quantum ad studia literarum, quæ illo docente tractaturus est, submittet, ab eóque similiter

con-

congruam directionem, & monita & modum studendi postulabit. Atque hunc in Spiritualibus, internisque suis necessitatibus recursum ad Superiorem Confessariumque: in literariis verò ad Professorem servabit, cum simplicitate ac sinceritate Religiosa, sinè ullius noxa, statis, quoad vel ipsi commodum, vel illis placitum erit temporibus.

Industria III. Supellectilem suam Spiritualem, quam ex Novitiatu sive in animo & corde memoriáque, sive in libellis scriptam collectamque extulit, secum recolet revisétque ac proposita releget. Neque unquam sinet sibi hanc Novitiaticam provisionem, haud dubiè divinitus sibi in primitiis Spiritûs communicatam vilescere, déque manibus aliquomodo excuti, aut in contemptum, desuetudinem oblivionemque venire. Hoc enim sinè injuria Divinæ Providentiæ atque gratiæ, itémque sine multiplici & gravi animæ suæ detrimento non fieret, imo majus opinione, citiúsque fi[illegible], malum & ruendi periculum ex hoc neglectu incurreretur, sicut enim in naturalibus rebus, eadem sunt principia con-

servativa, quæ fuerunt constitutiva rei, itâ & inSpiritualibus iisdem omninò exercitiis observationibusque commodissimè status internus animæ conservatur, nutritur, fovetur, & ad profectum maturitatemque deducitur in vita postProfessionem, quibus ab initio est per Novitiatum constitutus & natus & formatus. Itaq; Novitiatica exercitia & subsidia, provisiones, Supellectilesq; non possunt sinè præstantissimi Spiritûs jactura vel negligi, vel omitti, vel oblivioni tradi, & semel amissa vix unquam satis revocari & recuperari poterunt. Repetenda ergo erunt vel relegenda, & sermone cum aliis in memoriam, in usum praximque revocanda, quæ benè & salubriter in Tyrocinio audivimus, observavimus, inchoavimus, proposuimus, in adversaria scripto retulimus. Neque ab hac Industria ulli nos respectus revocabunt, si boni æmulatores zelatoresque Spiritûs esse voluerimus.

Industria IV. Ab initio statim vitæ post professionem aut Mansionis suæ in conventu, loco studii, officii, aliquod profitebitur virtutis & disciplinæ Religiosæ studium curamque etiam in minimis & obviis rebus;

bus; profitebitur, inquam, opere magis quàm voce. Et quidem in rebus ordinariis ordinariam, non autem eam, quæ singularitatem aliquam redoleat, & Novitatem sapiat, affectionem odiosam notabilemque insinuet. Hâc liberâ virtutis & disciplinationis professione, & sibi ipsi imponet necessitatem, ità deinceps peragendi, nec stylum mutandi in moribus: & aliis ædificationi erit, & discolorum laxiorumque mox à se familiaritatem arcebit. Quæ industria permultùm facit ad pacem & constantiam consequentis temporis. Qui enim initio statim, ità liberum & dominum se in virtutis studio ostendit, liberum solidumque passum facit, & fundamentum jacit, ad Dominium deinceps in virtute continuandum, sibique asservandum.

Industria V. Cavebit curiositatem videndi, sciendique inutilia, non necessaria, aliena: Cohibita enim hac curiositate ab innumeris se immunem servabit curis, cogitationibus, timoribus, consiliis; conjecturis, suspicionibus, censuris, scandalis, quodsi eam non cohibuerit, si Spongia esse velit, & omnia ad se notitiamque suam attrahere,

sen-

ſentiet malô ſuô ſententiæ illius veritatem. Qui addit ſcientiam, addit dolorem. Fugiet ergo inutiles notitias, nec nè ultro quidem ſe ingerentes admittet, ſed gratis dimittet, prout gratìs venerunt; neque pro brevi dulcedine curioſitatis, longiſſimam, maximeque variam emet pœnitudinis pœnam.

Induſtria VI. Amabit & incolet cubiculum ſuum, neque ab eo digredietur, neque morabitur extra illud unquam ſinè neceſſitate, in ambulacris, publicisque locis nunquam ſubſiſtet, neque ſe aliis fortè ſubſiſtentibus unquam adjunget, ſed tanquam urgente neceſſitate, aliò vel ad cubiculum ſuum vocaretur, ſic feſtinabit evolare è publicô, multa per hanc induſtriam vitabit incommoda, congregabit commoda, non audiet inutilia, ſervabit ſilentium, non perdet tempus, officio ſuo fungetur, pacem internam tuebitur, non incurret complicitatem aliorum defectuum, non Superioribus, non diſciplinæ gravis erit oneroſusque. In cubiculo autem ſemper utiliter ſe occupet, ſtudendo, legendo, ſcribendo, orando juxta temporis ordinem & exigentiam, excludendo inutiles occupationes.

Solent enim hæ esse tentatio Diaboli & illusio, ut imperata, occupationes, ægrè, obiter, raptim, negligenter faciamus, voluntatis verò propriæ inutiles, impertinentes, cum tota effusione applicationèque peragamus.

Industria VII. Inter præcipua studia instrumentaque virtutis ac scientiæ reputabit ordinem temporum & pretium temporis. Omne punctum temporis habeat adnumeratum, ità ut cuilibet micæ temporis particulæque habeat adnumeratam occupationem bonam, quæ scilicet vel doctrinam, vel pietatem redoleat; det operam, ut particula boni diei non eum prætereat, nec illi otiosè effluat, tantùm enim revera perfectionis in gratia, in merito, in virtute, in perfectione, in gloria æterna, in scientia, in vita denique perdit semper, quantum perdit de tempore, potissimùm autem micas & reliquias temporum impendat ex proposito, ejaculatoriis orationibus & reflexionibus, super præteritas sequentesque actiones, aut renovationi intentionis, aut invocationi Divini auxilii, aut præsentiæ Dei, aut exercitio virtutis menstruæ, Exa-

minisque particularis aut aliis actibus piis, faciens id suaviter sinè actuatione & nimia solicitudine. Tali namque temporis observatione ditescit anima, pinguescit devotio, fervor conservatur & augetur, gratia Dei cumulatur, unio cum Deo familiaritasque initur, & innumera alia bona acquiruntur, mala vero excluduntur, adeo ut ne otiosæ quidem cogitationi spatium relinquatur.

CAPUT VIII.

De Industriis studendi literis atque scientiis.

SCiendum aliam rationem esse studendi Religiosi hominis, à ratione studendi hominis secularis. Sunt qui scire volunt, ait S. Bernardus, ut sciant, & curiositas est: sunt qui scire volunt, ut sciantur, & vanitas est; sunt qui scire volunt, ut scientiam vendant, & turpis quæstus est; sunt qui scire volunt, ut ædificentur, ac ædificent, & hæc sapientia atque Charitas est. Atque hoc postremum debent spectare Religiosi omnes, sive dum literas aliis tradunt, sive dum

dum ab aliis discunt, ut nimirum & ipsi ædificent alios, promoveantque ad salutem & perfectionem, Deum autem glorificent, ut inquam ritè in studendo se gerant, his industriis juvari poterunt.

Industria I. Religiosus studeat juxta mentem, Spiritum & intentionem suæ Religionis, quod aliud nihil est, quàm studere in ordine ad zelum gloriæ divinæ, salutisque & perfectionis tam suæ propriæ, quàm proximorum, ut nimirum efficiatur idoneum Instrumentum Dei & Ecclesiæ & Religionis ad proximos Deo lucrandos, utque securè non minùs quantùm ad virtutis, quàm quantùm ad Religionis absolutionem, aut saltem sufficientiam exponi à Religione possit, ad ministerium Evangelii, & ad eruditionem directionemque animarum per viam salutis.

Industria II. Religiosus studeat secundùm Regulas studentibus præscriptas, cum quo coincidit studere secundùm directionem Præfectorum, Professorumque suorum, sic enim studentibus solet divina bonitas benedicere singulariter, tum ut proficiant notabiliter ac facilè, tum ut deinceps

tempore suo scientiis eorum utatur Deus, atque labores prosperet, ut sint & Dei gloriæ, & sibi ipsis & proximis proficui, secus autem accidit iis, qui aut sinistra intentione, aut præposterô modô præter mentem regularum, contra directionem præceptorum, studiis operam dant; horum enim operâ vel non utitur Deus, vel non benedicit, vel ad summum naturalibus temporalibusque mercedibus compensat labores eorum.

Industria III. Religiosus studeat cum diligentia humili, cum humilitate, diffidentiaque sui diffidenti, laboriosa & constanti. Humilitatem in studendo, colloco in sui ingenii laborisque diffidentia, in Divinæ autem opis & benedictionis imploratione atque fiducia, quod sibi Regulæ expresse præcipiens Religiosis crebram Divinæ benedictionis efflagitationem, ad hoc ut in doctrina proficiant, juxta S. Ben. in prol. S. Reg. *quidquid agendum inchoas bonum, à Domino perfici instantissima oratione deposcas.* Quod etiam facit diligens & seria Spiritualium rerum tractatio, maximè orationis: facit hoc etiam cultus & amor æternæ sapientiæ specia-

cialiter, ejusque Matris Sanctisſimæ, deinque Patris luminum, & totius SS. Trinitatis veneratio. Huic porrò invocandi opem Divinam ſtudio, ſuique diffidentiæ ex æquo debet labor conatusque indefeſſus reſpondere. Cœlum enim laborantibus favet, otioſis adverſatur, nec meretur exaudiri ille, qui, quod in ſe eſt, non facit, Deoque non cooperatur, ſcire enim debet omnis Religioſus à Religione ad ſtudendum applicatus, quod ſi id negligenter perfunctorieque tractet, quod commiſſum habet, multis modis invenitur reus. Nam & in Deum & in Eccleſiam Chriſti, & in Religionem, & in Fundatores Benefactoresque, & in proximos, & in ſemetipſum injurius eſſe cognoſcitur convinciturque, fallit etiam omnium Spem, eludit, & fraudat eos fructu ſtudiorum ſuorum debito; quod cum Deum juſtiſſimum Judicem impunè tranſire non poſſit, formidare certè deberet illam Domini comminationem: ſuccide illam, ut quid etiam terram occupat.

Induſtria IV. Religioſus ſtudeat ordinatè. Ad ordinem hunc multa ſpectant, ſed potiſſimum, ut confuſio vitetur, nec deſul-

toria levitate, nunc hoc, nunc illud arripiatur abjiciaturque: nec perturbentur tempora, nec discendorum series commutetur: habeat tempus suum quælibet studiorum discendorumque portio, nec quicquam anteponatur illis studiis, quæ ab obedientia præceptasunt. Sequi enim impetum naturæ & calorem phantasiæ, irreligiosum est. Ubi satis feceris his, quæ imperata sunt, forsitan licebit indulgere ingenii æstui & privatæ cupiditati, modò & illa sobria, utilisque sit nec ullô modô præjudicet obedientiæ, &c.

Industria V. Religiosus studeat adæquatè ingenio capacitatique suæ. Non debet quisquam ex facilitate felicitateque ingenii negligentior reddi. Sicut enim absurdè ageret lepus naturâ velocissimus, si ex eo, quod testudinis asellive cursum facilè æquare posset, non jam vellet uti velocitate sua in currendo, ità felix sortitus ingenium, nequaquam à culpa negligentiæ immunis est, si propterea à labore in studendo sibi adæquato cesset, quod tardiorem minusque capacem citò æquat. Cui plus datum est, plus requiretur ab eo; à feraci gleba,

plus exigitur quàm à sterilibus arenis, gaudet mercator, si modicis impensis ingentia lucra parare potest, neque ideò cessat, quando videt alios majoribus impensis minora quærere: non propterea Deus ingenium felix providit largitusque est tibi, ut inde deses evaderes, sed ut capaciore ingenio plura capere contenderes, facilitateque profectûs ad magnum profectum, & ad excellentem fructum messemque doctrinæ evolares, hoc si non facis, fraudas Deum fine suo, & defodis talentum, sudario illud involvens, laborem sudoremque fugiens. Quod si contingat aliquantum ingenium, non proinde felix sortiri, non propterea is abjicere manum debet, sed felicitatem conatu laboreque supplere. Meliores sunt plerumque profectus parti labore, quàm felicitate & facilitate, sicut diutiùs durat, quod æri incisum, quàm quod in terra & aqua est scriptum, esto hoc sine labore, illud cum molestia etiam perfectum sit. Quare facilitas labore pensanda est, quia labor vicissim duratione ac soliditate pensabitur.

Est autem vitandus quidam scopulus, in quo non pauci impingunt: Ostentatio atque

que aucupatio felicitatis facilitatisque & opinionis de eadem. Volunt enim aliqui videri sinè multo labore, multum proficere, multa facere, citò peragere, cum tamen sæpissimè in re aliter sit. Verùm quidquid sit de hac veritate, hoc verum est, majorem esse laudem justioremque ac prudentiorem commendationem, si perinde laboriosus ac ingeniosus sis, ut dubitent alii quid præstet in te, laborne ingenii facilitati, an ingenium labori? Sicut enim optimus est ager ille, qui & specie & re ipsa ferax est, ità illud ingenium optimum, quod facilitatem labore adæquat. Talem ergo ambitionem facilius ferendam crede, si te æque facilem ac laboriosum probes in discendo.

Industria VI. Religiosus studeat jungendo literas cum pietate. Hæc enim oportet facere & illa non omittere, pietas ad omnia valet & præcipuum instrumentum est sciendi, puritas cordis. Etenim malevolam animam non intrabit Sapientia. Scientiæ, corpus sunt, virtus anima: nihil prodest corpus sinè anima: nihil etiam facit anima sinè corpore, præstat tamen longè

anima

anima corpori. Ut sit homo integer, utroque constare debet, ut homo Religiosus sit integer & absolutus, doctum & probum oportet. Completa laus est non minùs esse solidè doctum, quàm solidè sanctum: Scientia sinè charitate inflat, charitas sinè scientia, se quidem, sed non proximum ædificat.

Industria VII. Religiosus studeat sinè invidia & æmulatione charitati inimicâ, gaudeat alieno profectu perinde ac suô propriô, ad amandumque invitetur ipsis talentis condiscipuli, ingenuæ mentis hoc est, quantò magis Religiosæ. Igitur neque profectu, neque gratia apud alios, sive pares sive superiores movebitur ad invidiam, ad obtrectationem, ad sugillationem. Sicut etiam suo profectu, suo successu, suâ apud alios gratiâ, non ducetur ad contemnendum, ad deprimendum alios, sed potius dabit operam, ut omnes alios æstiment, ament, complectanturque sicut & se, etenim charitas non æmulatur, non inflatur: immô si multitudinem aliorum peccatorum cooperit, quantò magìs fratrum. Perinde sordidi animi est invidere quod alteri bene

est, ac invidere si alteri tecum bene sit. Si amaris, velis etiam alios amari tecum si amas, dilata amorem & ama plures, tantò melior es, quantò plures amas, si amantur alii, gaude & congratulare, ut sis & tu bonus amando sicut sunt alii &c.

Industria VIII. Religiosus studeat solidè, fundatè, fundamentaliter, cum possessione scientiæ, cui studet. Qui enim in Religione discunt, non tantùm suâ curâ student, sed ut si placuerit Superioribus, doceant alios, cui ergo dubium, quod solidè ab eis opus sit, scientiam facultatemque possideri, quàm sunt aliis tractaturi: student etiam delectabiliter, ut eum delectet studere, scire & discere: hinc enim fiet, ut jucundè, ut libenter studeat, nec pigrescat in labore, nec molestè ferat, imo appetat docentium diligentiam. Hinc etiam fiet, ut spontè studeat, ut supra id, quod docetur, scire proficereque contendat, ut studendi nunquam finem faciat. Hinc etiam fiet, ut se gratum Præceptori in omni vita exhibeat, & doctrinæ, simulque labori eorum per se affectus sit. Alias Industrias petat è vitis Sancto-

Sanctorum tam sui ordinis v. g. Bernardi, Bedæ, Anselmi &c. quàm aliorum ordinum, v. g. Aloysii, Alvari &c. Tu his Industriis utere, Deum in auxilium invocans &c.

Schleh